Hymnus Eucharisticus.

Præludium.

EXultate Justi in Domino ; Rectis est Laus decora :

Cantate Deo Canticum novum ; scitè pulsate cum læto sonitu.

Quia rectum est Verbum Domini, & omne Opus Ejus in Fide : Diligit Justitiam & Judicium ; Misericordiâ Domini plena est Terra.

Quàm pretiosa est Benignitas tua, Deus ? Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt ; Saturabuntur pinguedine Domus tuæ ; De Torrente Deliciarum potabis eos.

Nam apud te est Fons Vitæ, in Luce tua Lucem videamus.

Chorus Primus : 4 Voc.

Extende tuam Clementiam in eos qui te norunt, & Justitiam tuam his qui recto sunt Corde ; Nè me superborum pes aggrediatur, nè moveat me manus Impiorum.

Deus est nobis Spes & Robur ; Auxilium in adversis præsentissimum : Idcirco non timebimus licèt moveatur Terra,& Montes transferantur in medium Mare.

Flumen amœnum lætificat Civitatem Dei, sacrum Supremi Domicilium.

Deus est in medio Illius, non dimovebitur.

Deus Illam maturè adjuvabit.

Durat Misericordia Domini à seculo in seculum erga timentes eum & Justitia ejus erga Filios , erga Observantes Fœdus ipsius & qui sunt memores Mandatorum ejus ad faciendum ea.

Collauda Dominum Anima mea ; & omnia interiora mea, benedicite sancto ejus Nomini.

Chorus Ultimus a 5 Voc.cum Instrumentis.

Sit benedictus Dominus Deus Israelis, qui solus facit mirabilia ; Sit benedictum Nomen ejus gloriosum ; & impleatur Gloriâ ejus tota terra. Nos benedicemus Deo nunc & in seculum , Ejus Clementia erga nos excellit, Halelujah, & Fides Domini in æternum, Halelujah.